

AD
RECENSIONEM
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,
A NOBIL. A CELSE EDITAM,
ACCESSIO.
CUJUS PROLEGOMENA,

Venia Fac. Philos. R. Acad. Aboënsis,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human. & Antiquitt.
nec non R. Soc. Scient. Upsal. Membro,*

Publicæ bonorum censurae submittit

ALEXANDER CAJAN,

Ad R. Legionem Vetitum Cajaneburg. Signifer, Offrob.

*In Auditorio Majori die XIX Decemb. MDCCXCVII,
H. A. M. S.*

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

THESES RESPONDENTIS.

THESIS I.

Morem illum Ægyptiorum, quo vitæ genera artesque hæreditarias habebant; ut in barbaris non profus, inconsultum, ita in gentibus cultioribus absurdum esse, facile patet.

Thes. II.

Supplicia capitalia, etsi parcissime adhibenda, ad effrenatam tamen quorundam hominum malitiam coercendam, & reliquos cives ab immedicabili illorum pravitate tutos præstandos, necessaria interdum esse, asserere haud dubitamus.

Thes. III.

Simul autem certum putamus, iis potissimum sceleribus, quæ securitatem atque tranquillitatem publicam turbant, ea esse referenda.

Thes. IV.

Negari nequit, per vigilantem Magistratum sapientiam, a multis sceleribus homines posse contineri, a quibus eos frustra per pœnas severissimas deterreas.

Thes. V.

Licet conscientiæ dictamina sint semper sequenda; conscientiam tamen normam esse actionum nostrarum, non aptissime dicitur.

Thes. VI.

Infantibus puerisque temere adulando, atque actiones eorum minus probas laudando, aut malitia eorum nutu benigno probanda, maxima a parentibus contra sapientis educationis leges sæpe committuntur peccata.

Thes. VII.

Philosophia, quo magis ab usu vitæ communis recedit, eo evadit, multis nominibus, ineptior.

36. *Universis Christi fidelibus per Regnum Dacie constitutis.* Later. XII Kal. Febr. A. VIII (d. 21 Jan. 1224). Bulla Canonizationis *Wilhelmi*, Abbatis Monasterii S. Thomæ de Paraclito (y); de cujus vita & miraculis, jussu Papæ inquisiverant *Abfalon* Archiep. Lundensis, P. Episcopus Roschildensis, & Abbas de Eruado Cisterciensis Ordinis; quorum commendationi suffragabatur etiam Cardin. *Gregorius de Crescentio*, qui Apost. Sedis in his partibus Legatus nuper fuerat. — Indid. a. VIII Ep. 208, p. 143.

37. *Universis Christi fidelibus per Regnum Dacie & Suetie constitutis.* Later. III Kal. Febr. a. VIII (d. 29 Jan. 1224). Significat iis Papa, *Wilhelmi* illius canonizationem peractam, & singulis devote pro ejusdem reverentia a die solemnitatis suæ ad octavum ipsius, ad ecclesiam ejus (S. Thomæ de Paraclito) accedentibus, XL dies indulgentiarum promittit. — Indid. Ep. 264.

38. *A. (z) quondam Lundensi Archiepiscopo.* Later. XV Kal. Martii a. VIII (d. 15 Febr. 1224). Impertit ei quam petierat potestatem absolvendi eos qui essent de sua speciali familia, & qui fundos Lundensis ecclesiæ pro sua provisione sibi assignatos inhabitarent, (si forte incidissent in canonem sententiæ promulgatæ, dummodo eorum excessus non esset enormis), & conferendi personis idoneis beneficia in dictis fundis consistentia, cum vacabunt (aa). — Indid. Ep. 267.

39. *Illustri Regi Suetie (Erico Erici, Balbo)* Later. X Kal. Martii a. VIII (d. 20 Febr. 1224). Acerbe queritur Papa, in Svecia Clerum, significantibus hoc ei Regni Episcopis, Presbyteris & aliis Clericis, a Rege gravari expeditionum angariis & aliis

(y) Vitam hujus *Wilhelmi*, ex Francia consilio Archiep. *Abfalonis*, ad reformandos Monachos Augustinianos Claustrum *Eskilsdœ* (postea ad *Ebelholt* translatus), Dioceseos Roschildensis, cujus Abbas constitutus fuit, vocati, & a. 1202 mortui, exhibet PONTOPPIDAN l. c. p. 608 sqq. Cfr. LANGEBEK l. c. T. V p. 458 sqq.

(z) *Andrea* Sunonis.

(aa) Num hæc traditioni favent, quæ eum lepra fuisse infectum prodit?

liis secularibus exactionibus: a qua impietate Regem graviter dehortatur (bb). — Indid. Ep. 307.

40. *Duci et Principibus Regni Suetie*. L. a. & d. iisd. Eiusdem plane tenoris. — Indid. (bb).

41. *Illustri Regi Suetie* (Erico). L. a. & d. iisdem. Queritur Papa, ad audientiam suam pervenisse, Regni Episcopis insinuantibus, quod vacantibus eorum ecclesiis, quas defendere deberet, Rex bona earum violenter usurpet, & pro sua diripiat voluntate, eaque re reditus earum, qui satis sunt exiles, annihilat. A quo turpi more ut absteineat, Regem monet, ne contra se iram ejus qui regna transfert et spiritum aufert Principum, provocet, et cogat Papam, contra se tanquam ecclesiasticorum invasorem bonorum, quod grave sibi existeret cogitare. — Indid. Ep. 308. (bb).

42. *Ripensi* (cc) et *Wibergensi* (dd) *Episcopis*. Later. III Idus Jul. a. VIII (d. 13. Julii 1224). Episcopus Arusiensis (ee) Papæ significaverat, se frequentibus gravatum infirmitatibus amisisse usum alterius oculi, altero non modicum caligante, ac alias ad tantam debilitatem corporis devenisse, ut ad onus Pontificalis officii se ineptum & imparem recognoscat; quare petierat, ut illud onus ab ipsius humeris removeretur: quod si ita se haberet, jubentur spontaneam ejus cessionem recipere, de rebus Episcopii, cui ille laudabiliter præfuisse dicebatur, provisionem congruam ei assignantes; concesso etiam eidem ut posset Pontificiale officium exercere, cum non officii sed loci pe-

(bb) Cfr. LAGERBRING l. c. C. XIV §. 6, & A CELSE l. c. p. 57 N:o 10, p. 61 No: 24.

(cc) *Tbuoni*. Vid. PONTOPPIDAN l. c. p. 522 sq.

(dd) *Wiburgensi*, *Gunnero*. Vid. PONTOPPIDAN l. c. p. 594 sq.

(ee) Sine dubio *Aarbusiensis*, cum Episcopis *Jutiae* hoc negotium demandetur. Quis vero ille hoc tempore fuerit, sive *Petrus II* (*Vognsön*), sive *Skelmo*, sive *Petrus III*, Danis eruditissimis disceptandum relinquimus. Cfr. PONTOPPIDAN l. c. p. 526 sq.

petierit cessionem; Arufiensi vero Capitulo eligendi sibi novi Episcopi licentiam tribuant. — Indid. Ep. 522.

43. *Eidem. Reate Id. Aug. a. X.* (d. 10 Aug. 1225) Ad quatuor ab eo propositas quæstiones, ritus quosdam ecclesiasticos spectantes, responsum datur. — Indid. Ep. 16.

44. *Archiep. Upsalensi (Olavo Bafatômir). Reate II Id. Augusti a. X* (d. 12 Aug. 1225). Rogat Papa & mandat, ut J. (ff) Diacono Cappellano Archiepiscopi, pensatis meritis ejus, quippe qui diu Parisius scholasticis institerat disciplinis, et per biennium divinis devote vacaverat obsequiis in partibus transmariinis) provideret ei in beneficio competenti. — Indid. a. X Ep. 12, p. 76. t.

45. *Archiep. Lundensi (Petro? (gg)). L. a. & d. iisd.* Conceditur ei potestas ad quinquennium, vice Papæ absolvendi incendiarios provinciæ suæ, ac manuum in personas ecclesiasticas injectores (satisfactione tamen competenti læsis comparata), nisi qui ob enormes excessus ad Sedem Apostolicam mitti deberent. — Indid. Ep. 14.

46. *Episcopo Arosiensi (Fr. Roberto). Reate XI Kal. Dec. a. X* (d. 21 Nov. 1225). Licet in juventute vovisset, ab esu carnis perpetuo abstinere; quia nunc tanta est corporis infirmitate gravatus, ut non possit incedere nisi ab aliis sustentatus, unde ei a Clero et populo suadetur ut vescatur carne pro viribus corporis reparandis, hoc ei permittitur, cum idem etiam fratribus Cisterciensibus aliisque religiosis, ægris liceat: ita tamen ut in recompensationem hujus permissionis aliquam specialem elemosinam faciat. Significat præterea Papa, sese accepisse XX marcas argenti de censu — b. Petri, ab Episcopo sibi missas. — Indid. Ep. 113 p. 97. t.

C 2

47. Ma-

(ff) Num *Farlerio*, qui in Archiepiscopatu ei successit?

(gg) Successori *Andreae*. Cfr. supra not. (x).

47. *Magistro & Fratribus Militie Christi in Livonia. Later. III Id. Dec. a. XI* (d. 10 Dec. 1226). Confirmat compositionem inter eos ex parte una, & *Hermannum* Episcopum *Lealensem* ex altera, super quibusdam terris, mediantibus (*Alberto*) *Rigenfi* Episcopo & ejus collegis factam, & hic verbotenus insertam (datamque *Rigæ* a. 1224, 10 Kal. Aug. (*hh*)) — Indid. a. XI Ep. 401.

48. *Iisdem. L. a. & d. iisd.* Confirmat sententiam quam tulerat *Wilhelmus* Episc. *Mutinenfis*, *Sedis Apost. Legatus*, inter *Magistrum & Albertum* Episcopum *Rigensem* de jurisdictione utriusque, respectu tertiæ partis *Livoniæ & Lettiæ*, quam Episcopus *Magistro & Fratribus* suis donaverat (*ii*), (quæ sententia tota verbotenus inseritur, data *Rigæ* a. 1226 mense Aug. Indictione XIII), quaque ex utriusque partis concessione definitur, "quod *Magister* respondeat sub Episcopo, Clerici *Magistri* in spiritualibus tantummodo respondeant sub Episcopo, & omnes causas spirituales idem Episcopus audiat: Fratres autem & omnes habitantes in parte *Magistri*, sub *Magistro* solummodo respondeant, salvo eo quod possint a diffinitiva sententia, si voluerint, ad Episcopum appellare" — Indid. Ep. 402.

49. *Episcopo Rigenfi* (*Alberto*). *L. a. & d. iisdem.* Tribuitur ei potestas excommunicationis vel interdicti sententias relaxandi, quas in *Magistrum & Fratres Militiæ Christi*, vel eorum possessiones in *Semigallia* sitas, ab Episcopo *Semigalliæ* contigerit promulgari; nisi idem Episcopus ipse, a *Rigenfi* commonitus, easdem, infra terminum ab hoc præscriptum, relaxare curaverit. Si autem *Rigenfis*, causa prædicandi ad loca

ca

(bb) Legitur etiam apud *JOH. GOTTE. ARNDT, Der Liefländischen Chronik Andrer Theil* p. 16, & *FRID. CONR. GADEBUSCH Livländ. Jahrbücher* (1 Th. p. 176 not. a).†

(ii) Cfr. *ARNDT* l. c. p. 15, *GADEBUSCH* l. c. p. 178, not. b. Hic contendit, *Wilhelmum* ante a. 1225 in *Livoniam* non venisse.

HONORIUS III.

ea remotiora ierit, alicui viro prudenti interim illas vices suas committere ei permittitur. — Indid. Ep 403.

50. *Archiepiscopo Lundensi (Petro?). Laterani II Nonis Febr. A. XI* (d. 4 Febr. 1227). Conceditur ei, petenti, potestas, eos subditorum suorum, tam Clericos quam laicos, qui in nefarios coitus, cum consanguineis, brutis & pueris collapsi sunt, debita iis imposita poenitentia absolvendi. — Indid. Ep. 530.

51. *Eidem. L. a. 3 d. iisdem.* Datur eidem licentia, cum nonnullos qui sacros ordines excommunicati susceperant et divina officia celebraverant, dispensandi, cum propter viarum discrimina venire ad Apostolicam Sedem sine nimia difficultate non possent; ita tamen, ut ad casus futuros hanc licentiam extendere non liceret. — Indid. Ep. 531.

GREGORIUS IX.

1. *Archiep. Nidrosiensi & Episcopo Bergensi. Perusii Idib. Febr. Pontificatus Anno II* (d. 13 Febr. 1229). *Haquinus Haquinii* Rex Norvagiæ, de coronatione sua Papæ scripserat, qui Archiepiscopo Lundensi & Episcopo Scarensi rem demandaverat examinandam. Quia vero Rex Archiepiscopum habebat suspectum, de alio in ejus locum subrogando Papam rogare decreverat; cumque iidem Archiepiscopus & Episcopus interim decessissent, Papa negotium Nidrosiensi & Bergensi committit, ut juxta mandatum quod Lundensi & Scarensi olim direxerat, in rem inquirant, & veritatem inventam sibi literis intiment, ut securius procedere valeat. (a) — Ex Registro Literar. Apostolicar. Greg. P. P. IX, An. II, Ep. 85 p. 99.

2. *Clero & populo Guthlandie. Perus. XII Kalend. Febr. Pontif. A. III* (d. 21 Jan. 1230). "Cum ex antiqua consuetudine

C 3

(a) Cfr. de hac causa A. CELSE I. c. p. 63, N:o 9; & PETER. CLAUSSENS *Norriges Beskriffuelse* p. 614.

"dine obtentum sit in Guthlandia, ut in tres partes divideren-
 "tur decime integre persoluite, quarum una deputaretur fabricæ,
 "secunda usibus Clericorum, tertia pauperibus eroganda, & super
 "hoc -- (*Carolus*) Lingacopensis Episcopus loci Diocesanus moverit
 "questionem, tandem mediante -- (*Andrea*) Lundensi Archiepiscopo
 "inter vos ex parte una, & ipsum Episcopum ex altera, super hiis
 "talis compositio intervenerit, quod in eodem statu earundem
 "decimarum distributio permaneret, ----. Nos ergo vestris pre-
 "cibus inclinati, compositionem ipsam, -- auctoritate apostolica
 "confirmamus &c. (*b*) — Indid. A. III Ep. 109, p. 151 t.

3. *Universo Clero Guthlandie. Perus. X Kal. Febr. A. III.*
 (d. 23 Jan. 1230). Confirmat statutum Archiep. Lundensis
Andree, & *Wilhelmi* Episc. Mutinensis, Sedis Apost. Legati, qui
 ratum esse jusserant morem quo "Presbiteri ecclesiarum Guth-
 "landie propter sterilitatem & angustiam terre, de institutione
 "antiqua tam ex feno quam ex annona decimam percipie-
 "bant, & singularum ecclesiarum parrochiani presbiteris singu-
 "lis, ex eadem institutione, in fundis ecclesiarum domos debe-
 "bant construere necessarias, & constructas cum collapse fuerint
 "refarcire; ac fuit nichilominus institutum, ne cuiquam pro-
 "pter angustiam terre liceret de prediis capitalis portiois sue ec-
 "clesie ultra decimam partem in extremis relinquere, ac post-
 "modum ad supplendam tenuitatem hujusmodi donationis iterum
 "institutum fuit, ut quilibet positus in extremis bona mobilia labo-
 "re proprio acquisita totaliter ecclesiis posset relinquere, vel
 "pauperibus conferenda. — Indid. Ep. 108.

4. O.

(*b*) Cfr. A CELSE p. 61 N:o 27. Qui conventionem hanc, inter Clericos
 (& incolas) Gotlandiæ ab una parte, & Lincop. Episc. *Carolus* (hu-
 jusque succesorem *Benedictum*) ab altera factam, atque ab *Andrea* Archiep.
 Lund. Apost. Sedis Legato ac Sveciæ primatè roboratam, ipsis Literis
 confirmatoriis *Wilhelmi* Ep. Mutinensis & Legati Apostolici (datis Wis-
 byæ a. 1226, & in Bullario Peringsköld, reperiendis) insertam fuisse,
 docet. — Cfr. (de hac & proxime sequenti Bulla) etiam supra p.
 6, N:o 3.

4. O.(c) *Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, Apost. Sedis Legato. Laterani II Nonas Aprilis A. IV* (d. 4 Apr. 1230). Licet Papæ Innocentius & Honorius, volentes Livoniensem Ecclesiam, & alias in partibus illis de novo creandas, ad manus Sedis Apostolicæ specialiter retinere, pluries Bremensi & aliis Archiepiscopis circumpositæ regionis mandassent, ne in eis sibi jurisdictionem jure Metropolitico vindicarent (d): tamen, nuper vacante Ecclesia Rigenfi, prædictus Bremensis Albertum Clericum, Episcopum in ea constituerat, se fuisse diu in quasi possessione ordinationis hujusmodi asseverans; Capitulum vero Rigenfe Nicolaum Canonicum S. Mariæ Magdeburgensem, Præmonstratensis Ordinis, Episcopum elegerat. Quare Legato mandatur, ut primum tentet candidatum utrumque ad spontaneam renuntiationem permovere; quod si non successerit, deinde electione Archiep. Bremensis examinata, si illam justam repererit, eam confirmet quidem, sed prohibeat simul, ne ille in posterum hoc sibi jus arroget; aut si illius ordinatio minus legitima sit, electionem Capituli examinet, ac aut confirmet, ubi canonicam fuisse repererit, aut ipse de idoneo, illis Episcopo provideat (e). — Indid. A. IV., Ep. 6.

5. *Bergensi & Stavengrensi Episcopis, & Abbati S. Mariæ de Stanleia, Cisterc. Ordinis. Reate V Idus Sept. A. V.* (d. 9 Sept. 1231). Idem illis negotium, in causa Regis Haquini, peragendum demandatur, quod Archiep. Nidrosiensis, qui mortuus interim fuerat, & Episc. Bergensi commissum fuisse, nuper vidimus p. 21, N:o 1. — Indid. A. V., Ep. 132.

6. *Episcopo Semigallienfi (Balduino de Alna). Reate V. Kal. Febr. a. V.* (d. 28 Jan. 1232). Conceditur ei officium
Legat-

(c) *Otoni.* Cfr. GRUBER *Origines Livonia Sacra & Civ.* p. 185 not. (g).

(d). Cfr. GRUBER l. c. p. 230 N:o XX, & p. 266 N:o XLV.

(e). Cfr. GRUBER l. c. p. 185 not. (g), & GADEBUSCH l. c. p. 212 sq. Unde dicere licet, sententiam Legati secundum Rigenfes fuisse latam

Legationis Apostolicæ in *Livonia*, *Gothlandia*, *Winlandia* (f), *Hestonia* (g), *Semigallia*, *Curlandia*, & cæteris neophitorum & paganorum provinciis & *insulis circumpositis*, cum plena potestate ad illud officium pertinente (h). — Indid. Ep. 172.

7. *Eidem, Apostolice Sedis Legato. Reate III Kal. Febr. a. V* (d. 30 Jan. 1232). Mandatur ei, ut in quibuscunque terris in *Livoniæ* & *Eustoniæ* (*Estoniæ*) partibus, ac regionibus circumpositis, ad fidem Christi conversis, quæ non sunt diœceses limitatæ (i), ipsas ad manus Pontificis recipere non postponat, (k) potentia & ecclesiastica & seculari in auxilium adhibita. — Indid. Ep. 178.

8. *Rigenfi & Lealensi Episcopis* (Nicolao & Hermanno) & *Fratribus de Militia Templi de Livonia*, & *universis civibus Rigenfibus. L. a. & d. iisdem*. Jubentur, sub gravi comminatione, ex sententia *Mutinensis Episcopi* (*Wilhelmi*) Legati Apostolici, Provincias *Wironiæ*, *Gervæ*, *Maritimæ* & alias inter *Teutonicos* & *Danos* controversas, *Romanæ Ecclesiæ*, (ejus nomine ab Episcopo *Semigalliensi*, *Sedis Apost. Legato*, regendas), tradere: idque non obstantibus literis a *Sede Apostolica* vel *F. Jerusalem & Siciliæ Rege*, seu nato ipsius, impetratis. — Indid. Ep. 177.

9. *Episcopo Semigalliensi, Apostolicæ Sedis Legato. Reate III Non. Febr. a. V.* (d. 3 Febr. 1232). Ecclesias in partibus *Livoniæ*, *Winlandiæ*, *Hestoniæ*, *Semigalliæ*, *Curlandiæ* ac cæteris

(f) *Wenedia, Wendorum* vicinorum terra.

(g) *Estonia*: quod nomen varie ab hominibus peregrinis pronuntiabatur & scribebatur.

(h) Habetur apud GRUBERUM l. c. p. 269. Cfr. de hoc *Balduino* Id. ibid. p. 183 not. (g).

(i) Hoc est, quarum limites jam sint certi & definiti.

(k) Voluisse Pontifex videtur has provincias, *Rigenfium* & *Fratrum Militiæ Christi* særæ subtractos dominationi, suo subicere regimini, permissos illuc Legatos administrandas?